



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria In Regvlas Cancellariæ Apostolicæ: Sive In
Glossemata Alphonsi Sotto, Glossatoris nuncupati**

Chokier, Jean de

Coloniae Agrippinae, 1674

Reg. XLVI. de Ingressu religionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62377)

*Argumenta in Regul. XLIIII. INNOCENTII VIII.
qua est XLV. PAULI.*

1. Impetraciones sunt ambitiosæ.
2. Impetrans per ingressum religionis, debet probare actu ingressum.
3. An Regula hæc sit de dandis?
4. Camera Apostolica an bullas concederet contra hanc Regulam.
5. Beneficium non vacat per ingressum religionis sed per professionem.
6. Per professionem inducitur beneficii & pensionis vacatio.
7. Concilium Tridentinum annullat resignaciones Novitii religionem ingressi ante duos menses præcedentes.
8. Resignatio ingredi volentis religionem subsistit, si ante susceptum habitum, vel ingressum religionis facta sit: Limita ut hic.
9. Resignans tenetur facere mentionem quod ad titulum beneficii promotus nec sufficeret si postea constiterit illum habere alibi de quo commodè vivere possit.
10. Monachus ante professionem potest renunciare coram Ordinario, neque ante professionem vacat huiusmodi beneficium. & quid de fructibus?
11. Novitius non potest renunciare si intra duos menses proximos ante professionem cum facultate Episcopi vel eius Vicarii.
12. Quid si cucullam monasticam sumpsit Ordinatus ad titulum beneficii?
13. Episcopus non debet beneficium concedere ingrediens religionem consecratam si facta professione.

*Regula XLIIII. INNOCENTII VIII.
qua est XLV. PAULI.*

DE INGRESSU RELIGIONIS.

Item quod non dentur litteræ super beneficii vacatione per ingressum religionis, nisi ille præcesserit datam de super petitione

GLOSSE

GLOSSEMA ALPHONSI.

Ista Regula dicit quod si impetretur beneficium vacaturum per ingressum religionis alicuius quod non expediantur littera de super nisi ingressus religionis praeceperit datam petitionis vel signata supplicationis, hoc dicit: & ratio dubitandi posset esse quia habetur pro cuncto qui de proximo est cingendus l. penult. ff. de milit. test. & licet tempore data non esset religiosus sed statim intravit religionem, satis videbatur quod iste haberet incrementum per praedicta, sed statim intravit religionem, satis videbatur quod iste haberet incrementum per praedicta, sed ratio decisionis est, quia impetrationes sunt ambitiose c. si. de rescript. lib. vi. ideo ambitioni impetrantis debet occurrere nam si dicat quod beneficium impetratum est religionem, mentitur, & si expressisset forte ita de facili non habuisset, ergo & c. arg. c. postulasti de rescript. & quod ibi not. Joannes de Imola & Abb. Item per ingressum religionis impetrans debet verificare actu ingressum, & non habitum: quia sunt verba restrictiva, ut dixi, ergo & c. arg. l. non potest de iure de reg. jur. & credo quod iste impetrans in expeditione debet hoc probare in Cancellaria quod ingressus erat ille ante datam ex quo est pars sua intentionis etiam si foret negativa, sufficiat l. ei qui dicit ff. de prob. & quod dicit Barthol. in l. illa, ubi legit. legem hoc iure ff. de verbor. oblig. & dubito an sit danda ista regula, quia non annullat: tamen crederem quod si unus impetraret per ingressum religionis, & tunc ille non impetraverat, & alius postea impetravit per verum ingressum, quod ille secundus in data debet obtinere per eam qua superius dixi: & tunc deberet dari ista regula, quia concernit unum alterius, & etiam si non daretur iudex, sic deberet iudicare, arg. d. c. postulasti. Ista cautela est quod ponas in supplicatione per ingressum religionis iam praeteritum, ut dicitur, vel de proximo futurum Titij, & c. & tunc dubito quod signaretur supplicatio: tamen si signaretur possent littera expediri per Cancellariam arg. huius regulae: cuius verum debemus inherere & non recedere ab illis arg. l. non aliter de leg. iii. & credo quod Camera transiret bullas contra hanc regulam secundum consuetudinem suam. Amen: tamen non omitram, quia beneficium non vacat per ingressum religionis, sed per professionem tacitam, vel expressam c. beneficium de reg. jur. lib. vi. ideo ista regula non debet intelligi ut aliqui curiosi Curiales intelligunt, scilicet quod beneficium ipsa vacat per ingressum religionis, quia debet intelligi secundum d. c. beneficium videatur per ingressum religionis vacaturus per professionem tacitam, vel sciendam: & ista vocatur specialis reservatio, quae non revocatur per revocationem expectatarum ut dixi, supra in regula x. & hoc est quod vult dicere illa Regula praeterquam secundum quod conserunt littera per Cancellariam expediri & c.

COMMENTARIA IO. à CHOKIER.

Actu ingressum) Non quod tum non vacet, sed vacabit facta professione ut infra dicitur: Nam per professionem inducitur beneficii vacatio, ut nescimus de Reg. iuris in 6. Sylv. verbo religio 2. qu. 8. Abb. in c. quod dei de statu Monach. D. Tho. 22. qu. ult. art. 7. Abb. in c. admonet col. ult. vers. oppono quod de renunciat. & sicut vacant beneficia per professionem, ita etiam per illam extinguuntur pensio, Gigas de Pensio. qu. 53. Caputaquen. decis. 223. part. 2. & quae ita sunt rescriptum in una Censuraten. pensiois 24. Jan. 1594. coram D. Gysio: quamvis contrarietate Rebus. de Pacif. posse. num. 157.

B Quia non annullat) Concilium tamen Trid. Sess. 25. c. 16. de Regul. annullat huiusmodi renunciaciones. ordinat enim quod nulla renunciatio aut obligatio Novitij ante professionem facta etiam cum iuramento vel in favorem cuiuscumque; causae p̄e valeat, nisi cum licentia Episcopi sive eius Vicarii facta intra duos menses proximos ante professionem, ac non alias intelligatur suum effectum sortiri nisi secuta professione, aliter vero facta irrita sit, & nullius effectus: Concilium tamen non habet locum si renunciatio facta sit ante susceptum habitum, vel ante ingressum religionis (quamvis renunciatio foret receptus) ideoque subsistet, nisi tamen donatio vel renunciatio facta fuerint tunc religionis ingrediendae, tunc tanquam facta in fraudem Decreti Concilij locus esset illius dispositioni, ex sententia Congregationis Concilij

Adverte tamen quod dixi cessare Concilij dispositionem subsistereque renunciationem beneficii factam ante susceptum habitum, vel ingressum religionis, dummodo non sit beneficium ad cuius titulum resignans esset ordinatus nisi hoc Sanctis. fuisset expositum ex alio Concilij decreto Sess. 21. cap. 2. ubi resignans tenetur facere mentionem se ad titulum illius beneficii fuisse promotum, & aliter resignatio facta nulla sit, etiamsi postea constiterit ordinatum tempore resignationis beneficij habere aliunde unde commodè vivere possit, Garcia tract. de Benef. part. 2. c. 5. num. 192. & seqq. qua de re fusè scripti supra ad Reg. de consensu in resignationibus.

C Per professionem) Unde cum beneficium vacet facta professione, ut dictum est, poterit Monachus ante professionem renunciare etiam coram Ordinariis ut patet ex constitutione Pij V. 58. ibi, Religionem quoque ingressus vel matrimonium contraxerit, nec ante professionem vacabit cum habeat annum probationis, intra quem potest exire ḡo. in c. benef. de reg. in 8. & interim lucrabitur si postea exeat, si postea profiteatur, fructus in quibus qui in absentia percipi solent

solent, cum sit absens ex justa causa *c. relatum de cler. non resident. Nicol. Garcia de Benef. p. 11. c. 9. num. 28.* licet interim debeat per alium defervire beneficio si servitium illud requirit *Garcia d. c. num. 29.* ubi subjicit quod si est curatum debet obtinere licentiam ab Ordinario in scriptis juxta Concilium Trid. *sess. 23. c. 1. de reformat.* & si nollet dare, recurrendum esset ad Superiorem ut ibid. addit. Adverte insuper quod talis religionem ingressus non lucrabitur fructus si sint beneficia non habentia fructus in absentia, ut sunt nonnulli canonicatus & prebendæ quorum fructus residendo lucrifunt, inquit *Garcia d. c. 9. num. 31.* Adverte secundo quod talis Novitius debet renunciare intra duos menses proximos ante professionem cum licentia Episcopi, vel ejus Vicarii, & aliter facta renunciatio erit irrita, & nullius effectus ex decreto Concilij Trid. *d. c. 1. de sess. 25. c. 16. de reg.* quod decretum etiam habere locum, quando quis renunciat ante ingressum, seu intuitu ingressus religionis resolvit S. Congregatio: nam videtur facta in fraudem, & hoc quando ordinatus ad titulum illius beneficii non habet aliunde ex quo vivere potest: nam his casibus non debet admitti resignatio, nisi habeatur certitudo de professione, & eo modo quo dictum est, & de stylo exprimitur in supplicatione *Flam. Paris. de resig. ben. lib. 3. c. 13.* Item habet locum in quacumque renunciatione beneficiorum, ut sæpius censuit S. Congregatio Concilij teste eod. *Flam. Paris. dicta qu. 13. num. 5.*

Et his igitur colligitur faciendam esse resignationem de consensu superiorum ante duos menses professionis, idque non caret ratione, ne temerè quis renunciet dum est Novitius, & postea contingat carere beneficio, & Monachatu, si foret non admittatur ad professionem, vel ipse postea nolit professionem emittere juxta ea quæ scribit *Abb. in c. ex transmissa num. 5. de renunciat.* ex quo etiam sequitur Episcopum non debere admittere resignationem ejusmodi beneficii, illud conferre nisi facta professione, ut præter placitum S. Congregationis, notat quoque *Zechius de ben. c. ult. num. 2. §. mente etiam captus.* atque ita intelligenda verba Constitutionis *§ 8. Pij V. ibi Religionem ingressuri, scilicet per professionem.* notat *Nicol. Garcia d. c. 9. num. 23.* & non per habitus susceptionem, ut voluit *Fuscus & Flam. Parisius lib. 5. qu. ult. de resig. ben.*

*Agumenta in Reg. XLV. INNOCENTI VIII.
quæ est XLVI. PAULI V.*

1. Impetratio beneficii in genere nec specificato modo vacandi, est nulla.
2. Valeret impetratio secundi, specifica modo vacandi, non etiam prima.
3. Hæc Reg. est de dandis ex quo habet
lii 2 Decretum